

Lex colligationis exigit ut singulæ doctrinæ partes benè inter se cohæreant, & transitionum vinculis, si longior intersit explicatio, colligentur. *Ideoq; hiatum & dissolutionem doctrinæ prohibet. Aliàs dicitur lex connexionis.*

Lex colligationis.

Est autem *transitio* alia perfecta, alia imperfecta. *Perfecta* est, quæ repetit breviter ea, quæ tractata sunt, & indicat breviter ea, quæ deinceps tractanda sunt: ut, Haftenus de Deo: nunc de operibus Dei. *Transitio imperfecta* est, quæ vel repetit tantùm summam doctrinæ præcedentis; vel proponit tantùm, quâ de re sequatur. Illius exemplum est: Satis de felicitate: Virtus est habitus cum rectâ ratione electivus. Istius exemplum est: Sequitur de vitâ æternâ. *Transitio ista summoperè* recreat ac reficit; non secus ac si viatori in herma seu mercuriali statuâ inscriptum esset, quantum itineris confecisset, & quantum conficiendum ipsi restaret. Cæterùm utraq; transitio in methodo perfectâ locum habere potest. Nec enim ideò dicitur perfecta vel imperfecta, quòd locum habeat in methodo perfectâ vel imperfectâ: sed quia illa duobus membris, hæc uno solùm constat.

Leges methodi minùs principales sunt duæ, videl. lex brevitatis, & panarmonia.

Lex brevitatis exigit, ut ne pars aliqua necessaria doctrinæ desit, neq; non-necessaria superfit.

Lex brevitatis.

Ideoq; tam mutilationem, quàm inanem redundantiam doctrinæ, tanquam pestes methodi, prohibet. Mutilatione quidem nihil est malignius; quia fit ad fraudem doctrinæ & ingenii humani, cui non proponuntur res necessaria. Redundantiâ verò nihil est odiosius; quia tempus, cujus ἀνάλογα πολυτελέσασθαι, hominibus quasi furatur; dum nimirum illi intenti prolaxis tractationibus, eadem ter, quater, & amplius legunt, necessaria negligunt magno suo malo. Sed hîc duo præcipitia cavenda. I. Imperfectio non est habenda pro brevitate. Nam brevitatis conveniens est, quæ rebus tractandis est adæquata, ita ut nullam earum partem omitat. At imperfectio affectata in artibus non est brevitatis, sed Diaboli filia germana. Hoc perpendant omnes illi novi ho-